

AB	non inā, EFFECTIVA. I. Pol. c. 4. quod artibus ad efficiendum suum opus inserviant, sive ipsa quoque efficiendo, ad illud concurrant; ut malleus, ferrum, lima, calamus; sive tantum passim se habeant, ut incus respectu ferri super illam cudendi.
V.	INSTRUMENTA, non à vi quādam agendi sibi insitā ita appellata, sed quod homines eorum adminiculo aliquid agant, ut olla, mensa, triclinia.
VI.	ANIMATA, quorum loc. cit. apud Aristotelem fit mentio, ut servi, equi, boves, &c alia jumenta, quatenus unice alterius causā existunt, sive ut alteri usum præbeant, quemadmodum servi quicquid agunt, ad nutrum & præscriptum domini agunt. Et equi currū trahentes vadunt, quō ab auriga trahuntur.
VII.	HABITUS, qui non nisi propter aliū habitum, ejusque finem inventi sunt & expetuntur, ut ars faciendorum frenorum respectu disciplinæ equestris. Quanquam rectius habitus instrumentales appellantur, quam ipsa instrumenta.
QVINTA,	UNIVOCA, quæ est ejusdem speciei specialissima cum effectu, ut homo hominem, ignis ignem generans. Notanter verò dicitur: Specialissima speciei, alias enim, quia omnia quodammodo fiunt ex univoço (ut communiter dicitur) omnes causæ univocæ essent, nec daretur æquivoca illa, v. gr. sol non esset causa æquivocata ranae, quia in hoc convenienter univoco genere, quod & sol & rana corpora sint.
Efficiens aliam est vel (λ)	ÆQUIVOCA, quæ specie infinita ab effectu differt. Qualis causa est Deus respectu mundi; Architectus respectu ædificii. Hic nota, diversa esse, aliquid esse æquivocata causam, & aliquid esse æquivocè causam. Prius notat id, quod dictum est, competitque causæ maximæ propriè dictæ; Posterior notat, aliquid non esse propriè dictam causam. Æquivocè enim & impropræ æquipollent.
SEXTA,	NATURALIS, quæ positis omnibus ad agendum requisitis ita agit, ut non possit non agere; & iisdem requisitis, ita hoc agit, ut in ejus potestate non sit, aliud agere. Quomodo ignis calefacit & generat aliū ignem; & canis esuriens nullaque vi detractus ad offam sibi objectam accurrit, eamque devorat.
Efficiens aliam est vel (μ)	LIBERA, quæ positis omnibus ad agendum requisitis ita agit, ut possit non agere; & iisdem requisitis, ita agit hoc, ut in ejus potestate sit contrarium, vel saltim aliud agere. Sic qui in scalis constitutus ascendit, potest non ascendere, vel descendere.
SEPTIMA,	UNIVERSALIS, quæ in effectum influxum præstat in differentem & indeterminatum, adeò ut simili modo in plures diversissimæ naturæ effectus simul influat, aut influere possit; determinatur verò ad effectum talis speciei à concurrente aliâ causa ejusdem generis. v. gr. Talis causa est Deus, qui cum igne calefacit, cum frigore frigefacit, & cum aliis causis secundis alios effectus edit. Qui effectus quod tales specie sunt, non habent proximè à DEO; quippe cuius influxus illimitatus & indifferens est; sed habent hoc à causâ particulari, quæ influxu illum ad hujus vel illius speciei effectum restringit ac determinat. Quærenti ergò, quare hac vel illa actio sit calefactio? non potest responderi, quia à DEO est, cum & frigefactio ab ipso sit. Rectè autem dico, ideo esse calefactionem, quia ab igne est, & aliam ideo esse frigefactionem, quia est ab aquâ frigidâ, vel alio corpore frigefaciente. Sic etiam Deus tanquam causa universalis concurrit cum homine in generatione hominis, cum equo in generatione equi &c.
Efficiens aliam est vel (ν)	§. Causalitas cause universalis ergò est actio indifferens & illimitata, quatenus se habet ex parte cause universalis, v. gr. Causalitas quâ Deus cum rebus creatis concurrevit ad ipsarum effectus, est actio ex parte DEI planè indifferens & illimitata, quia indifferenter se habet ad effectum diversissimæ naturæ, ita ut per illam non magis hic, quam aliis effectus produci possit. Et licet hæc actio à parte DEI illimitata & indifferens sit, tamen Deus efficit non solum communes rationes, sed etiam proprias & specificas, immo individuales omnium rerum, adeò, ut illius & concurrentis causæ particularis quoad rem sit prorsus una actio. Veruntamen determinatio illa non competit isti actioni, quatenus est à DEO, sed quatenus procedit à causâ particulari.
OCTAVA,	§. Talis causa simpliciter universalis est Deus; ab Aristotele ejusque interpres corpora cœlestia, imprimis Sol (juxta illud vulgatum, Sol & homo generant hominem) etiam referuntur ad causas Universales, sed sunt causæ minus Universales, vel saltim in certo genere, respectu nempe agentium sublunarium, respectu enim DEI sunt causæ particulares.
Efficiens aliam est vel (ξ)	PARTICULARIS, à cuius influxu effectus habet esse determinatum, sive, quod sit talis speciei. v. gr. Homo cum generat hominem, dat illi esse determinatum ac specificum.
OCTAVA,	§. Causalitas cause particularis ergò est actio determinata ad certam speciem, ita ut per illam non nisi effectus certe ac determinatae speciei produci possit, qualis est actio hominis generantis & actio caloris ignis: hac enim ad calorem producendum; illa ad hominem generandum determinata est.
Efficiens aliam est vel (ζ)	PRIMA, quæ non dependet ab aliâ priori, ab ipsâ autem reliqua omnia, qualis causa prima est solus Deus. Dependentia illa est triplex: 1. in fieri, quatenus à DEO omnia fiunt & facta sunt ab initio. 2. in esse s. existere, quatenus ab ipso omnia, postquam producta sunt, conservantur. 3. in operari, quatenus omnia quæ agunt, ipso tanquam concurrente opus habent.
B	Notan-

B